



כַּסֵּפֶת שְׁמוֹנִים
DISPUTATIO THEOLOGICA,

opposita
MATÆOLOGIÆ SOCINIANÆ v. Th. 820. 234. 6.

De

PERSONA CHRISTI,

Quam
AUSPICE CHRISTO

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè-Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Deutſchmann/

S. S. THEOL. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. longe Ce-
leberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori

Gravissimi,

DN. Præceptoris, Promotoris ac Patroni sui æternâ
animi observantiâ colendi,

Ad D. Septemb. Anno M. DC. LXV.

In Audit. Majori

Publico ac pio συνθεολογόντων Examinis

Subjicit

M. HEINRICUS PLADECIVS,

Zittav. Lufatus

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

24

Inclytæ ac Flørentissimæ Reipublicæ Zittaviensis Patriæ

V I R I S

*Magnificentia, Nobilitate, Amplitudine, Prudentia, VITÆ integritate &
Virtutum splendore, multoq; Rerum usu maxime Conspicuis,
Præcellentissimis*

DNO. PROTO-CONSULI,
DNN. CONSS. PRÆ-
TOR. SENATORIBUSQVE,

Dominis suis munificentissimis,

Mœcenatibus optimis,

Promotoribus maximis,

SINGULIS DEBITO HONORIS ATQVE OBSER-
VANTIAE cultu perpetim prosequendis,

Ἡμετέριον HOC *ὑμνασμα* THEOLOGICUM CUM VOTO PERENNAN-
TIS FELICITATIS

Humillima mente

D. D. D.

Respondens.



I. N. J.

I. **C**hristologia non saltem *mystica nomina*, sed etiam *sublimia dogmata* complectitur. Post *Onomatologiam* igitur ad *Pragmatologiam* recta progredimur, ut appareat, quam bene, quam plane, quamq; plene nomina rebus convenient. In *Pragmatologia Christologias* plerumq; doctrina de *Persona*, & *Officio Christi* traditur, quam methodum & nos, in hac *Socinianorum Mateologia* recensenda & refellenda, nunc observabimus. Cum autem *persona Christi* non uno modo, juxta divinæ revelationis documenta, considerari vulgo soleat, sed aliam operam sibi *consideratio*, quæ vocatur *absoluta*, sine *relatione certi status*, aliam ea, quæ *relativa* dicitur, cum *relatione certi status*, vel *Exinanitionis*, vel *Exaltationis*, methodicè requirat, ideo *presenti disputatione considerationem absolutam Persona Christi contra Socinianos* meditabimus, *relativam* secuturis contemplabimur.

2. De *mysterijs persona Christi* vel agitur *conjunctim*, vel *distinctim*. *Conjunctim* ὡς ἐν τύπῳ notamus, quod doctrina de *persona Christi plurima mysteria* comprehendat, quia μέγα τῆς εὐσεβείας ὁμολογημένως ἐστὶ μυστήριον, *Deus manifestatus in carne* I. Tim. III, 16. & quia tota Christi persona mera nobis exhibet mysteria, quæ caro & sanguis revelare non possunt Matth. XVI, 17. hinc

Evangelium & prædicatio de Jesu Christo secundum revelationem mysterium æternis temporibus tacitum, & à seculis absconditum appellatur *Rom. XVI, 25.* Sociniani vero de *persona Christi* nulla prorsus mysteria proferunt, sed eum nudum hominem esse dicunt, quemadmodum ex sequentibus apparebit.

3. Dicimus igitur, quod *persona Christi* dupliciter considerari debeat, vel *præcisè & formaliter*, respectu suæ *personalitatis*, vel *concrete & materialiter*, ratione *duarum naturarum in persona*, quæ tum *per se* considerantur, partim *in mutua relatione*, quoad *unionem personalem*, de qua rursus agitur vel *in sua natura*, quoad *ipsam personalem unionem*, vel *in mystica energia*, quoad *communicationem personarum naturarum & idiomatum*, quæ cuncta mysteria scriptura luculenter satis si non *κτὶ τὸ πρῶτον*, tamen *κτὶ τὴν διάνοιν* de *persona Christi* tradit & exponit. Sociniani vero dogmata de *persona Christi* mutilant, & mutant, & parum, vel nihil mysterii de *persona Christi* cognoscendum & credendum esse statuunt, quemadmodum ex *breviss. Institut. p. 9.* liquet, ubi scribunt: *Quæ ad PERSONAM CHRISTI referuntur, sunt, quod natura sit verus homo, qui olim quidem, cum in terris viveret, mortalis fuerit, nunc vero immortalis sit.* Verum (a) hæc omnia nihil mysterii comprehendunt, adeoquæ nec *Christologias* mysterium vel ex toto vel ex parte constituunt. (b) communia sunt omnibus hominibus, utpote qui natura sunt homines, & quamdiu vivunt in his terris mortales sunt, post mortem autem & resurrectionem immortales erunt, quid igitur in his prærogativæ Christus præ aliis hominibus haberet? (c) sequeretur etiam inde longe majores prærogationes habuisse primos homines, à Deo creatos, quam *Christum salvatorem*, & sic *Adamum primum Novissimo* præstantiorem extitisse, quod Sacris literis non in uno tantum loco contrariatur. (d) hac ratione nulla prorsus fide de Christo opus foret, quia hæc omnia, quæ juxta *Socinianos* hoc pacto Christi personam concernunt, fundamentum in natura certum habent, & ratione non tantum, sed etiam *sensibus* percipiuntur.

4. De *persona Christi formaliter* credimus, docemus & confitemur, (1) quod *una tantum sit Christi persona* (a) quia sacra scriptura

ptura

ptura nobis ubiq; tantum unum Messiam proponit, tum quod unus sit Jesus Christus Rom. V, 17. tum quod unus sit homo Jesus Christus v. 15. tum quod καὶ ἕξοχῆν sit unus, quia v. 19. per unius obedientiam iusti multi constitui dicuntur; tum quia unus est Dominus Jesus Christus, per quem omnia I. Cor. IIX, 6. tum quod unus sit Dominus Eph. IV, 5 tum quod unum sit semen Gal. III, 16. tum quod unus sit Pastor Eccles. XII. 11. Ezech. XXXIV, 23. Job. X, 11. tum quod unus sit Doctor noster Christus Matth. XIII, 8. &c. (b) quia omnia, quæ nobis in verbo Dei de Christo revelata sunt, tantum ad unum referuntur, ut ex inductione patet. (c) quia licet duæ sint naturæ diversæ, tamen ad unam personam constituendam, in uno supposito mirabiliter uniuntur, cum verbum caro factum sit Job. I, 14. & Deus in carne manifestatus I. Tim. III, 16. (d) quia Sociniani nobiscum etiam unitatem personæ Christi confitentur.

5. Mera proinde calumniæ, quando nobis sententiam de duabus personis in Christo vel affingunt, vel eam ex doctrina nostra per consequentiam deducere contendunt, prout videre licet apud Smalz. contr. Franz. p. 63. Tacite, scribit, enim sumit pro concessio Franzius, ac si Christus aliter describatur, vel describi possit, quam ut UNA persona, quod tamen falsissimum, & non tantum S literis, sed ipsi etiam sane rationi contrarium est, ut infra demonstrabitur, & alibi demonstratū est a nobis. Deinde loca allegata (scil. de unitate Christi) nihil tale affirmant, unde aliquid de personæ unitate colligi possit, sed tantum dicunt, vel quemadmodū unq; homo causa fuit peccati & mortis, sic unum hominem causam esse justitiæ & vitæ æternæ: vel quemadmodum est unus Deus, sic etiam unum esse Dominum; & Jesum esse solū & unicum sponsū Ecclesiæ suæ; unum Dominum, ut una est pax, unum baptisma, & unum mediatorem Dei & hominum, ut unus est Deus. Porro si ut una persona describitur Christus Jesus, quomodo Deus verus erit, & verus homo? potestne verus Deus esse absq; persona sua? iterumq; verus homo potestne sua carere persona? Certe nihil minus. Persona enim homo est, & persona Deus est. Itaq; aut negandum est, Christum esse verum Deum & verum hominem, aut confitendum, EUM DUAS HABERE PERSONAS. Et frustra illud à Patri-

Patribus traditum affertur, quod in Christo ἄλλο καὶ ἄλλο non proponantur. Nam si Deus natura, & homo, non sunt ἄλλο καὶ ἄλλο, quid tandem erit ἄλλο καὶ ἄλλο? At ait Franzius, modo Messias ut Deus, modo ut homo à S. L. introducitur. Quid tum, si nō ut natura, sed dignitate & officio Deus introducatur? Potest enim is, qui homo natura est, Deus esse dignitate & officio. At is, qui natura Deus est, nunquam homo esse potest. Conf. p. 72.

6. Hæc sunt ἀνεύσματα Sociniana, quibus omne mysterium de Messia proscribere laborant. Dicimus igitur (1) Falsum esse, Franzium pro concessio sumsisse, quod Christus aliter describatur, quam ut una persona, cum unitatem personæ multis defendere susceperit. (2) Falsum, quod hic in mysterio Christologiae aliquid præjudicii ratio nostra cæca sacris literis afferre queat, cum hoc mysterium, sit ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πάντων κατὰ λέξιν teste Justino, quia μέγα τῆς εὐσεβείας ὁμολογημένως omnibus (exceptis Socinianis & aliis incredulis) mysterium est. (3) Dicta citata pro unitate personæ, si non immediate singula, tamen mediate personalem unitatem confirmatam reddunt, quemadmodum idem de locis th. 4. productis dicere sustinemus. (4) Deum esse hominem in unitate personæ, mysterium est & manet, ejusque modum intelligere nec possumus, nec volumus, quia scrutator majestatis opprimitur à gloria Prov. XXV, 27. Rem credimus, modum nescimus. Non igitur à priori modum rimari, sed à posteriori per divinam revelationem objectum admirari, & simplici fide contemplari debemus. Hoc ex S. L. novimus, quod Christus verus sit homo, nec illud Sociniani negant: itidem in verbo Dei legimus, quod Christus sit verus Deus, & unigenitus Dei Filius: & tamen unus dicitur esse Christus. Unus Christus est verus homo, per substantialem humanitatem, idem est verus Deus per substantialem Deitatem, quomodo hoc fieri potuerit, nostrum non est indagare, sed vera debemus id ipsum fide comprobare, quia mysterium hoc revelavit is, cui omnia sunt possible Luc. I, 37. (4) Deus verus non est absque persona, sed λόγος persona semper fuit, semper est, & semper manebit. Nec Christus homo personam vel substantiam destitutus fuit unquam, sed à primo concepti-

pti-

ptionis momento subsistentiam sibi communicatam habuit, quia in persona τὸ λόγος fuit: *sua* caret persona, sed divina gaudet subsistentia, quod non est *indigentia*, sed *sufficiencia*, non *ignominia*, sed *gloria*, non *imperfectio*, sed *perfectio*. (5) Deus est *persona subsistendo*, non *essendo*: homo *per essentiam* homo est, non *per subsistentiam*, vel *personam*. Smalzius igitur, qui ad *rationem* toties provocat, ea quæ sunt *rationis*, aut ignorat, aut recte non ponderat. Manet Christus Deus non tam *per divinam subsistentiam*, quam *per divinam essentiam*, manet homo non *per humanam subsistentiam*, sed *per essentiam*, cum homo nec sit *per subsistentiam*, homo, nec *per eandem esse* possit: manet etiam una persona, quia humanitas, quæ per *essentiales* hominis partes, animam & corpus, *essentialem integritatem* possidet, non *in se*, nec *per se*, sed in *λόγος* persona subsistit. (6) Quod ἅλλοτε ἔσται ἅλλοτε communiter ad subsistentes *personas*, ἅλλοτε ἔσται ἅλλοτε ad ipsas *naturas*, vel *Entia* referantur, non tantum à *Theologis*, sed etiam à *Grammaticis* & *Logicis* dicitur, quod rectius Smalzius ex ipsorum principiis cognoscere debuisset, & sic non habuisset, de quo vel *Patres*, vel *Theologos* accusare potuisset: (7) Figmentum, quo *Christum* saltem *officio* vel *dignitate* *Deum* dicit, falsis hypothesis nititur, quasi *Deus* sit nomen non *essentia*, sed *officij*, non *quidditatis*, sed *dignitatis*, Item quod *Christus* tantum *analogice* sit *Deus* &c. quæ passim alibi refutata sunt. *Christus unigenitus Dei filius* est, ac propterea *natura Deus*. (8) *Homo* qui *Deus* dicitur, vel potius *Elohim analogice*, non *proprie*, quoad *similitudinem*, non quoad *rei veritatem* *Deus*, vel *Elohim* dicitur, ac proinde talis *analogia* nihil præjudicare *Christo* potest. (9) *Is*, qui *natura Deus* est, *ratione nature* nunquam homo esse potest: quod autem *ratione subsistentia* *naturam humanam* suscipere possit, illud eo ipso non negatur, sed potius juxta *scripturam infallibilem* affirmatur.

7, (2) Quod *divina tantum sit persona*. Nam *Sociniani* *provisus* negant, quod *Christus absolutè sit divina persona*, sicut *Socinus in Inst. quærit p. II. Quid statuis de Christo Dei Filio, quem isti volunt esse alteram ex istis tribus personis unumq; & eundem numero Deum cum Patre suo?* respondet autem: *Satis est te intelligere, me statim*

X 8

statim

statuere, sententiam istam de Christo (vid. quod sit persona divina) nullo pacto veram esse posse. Præterea docent, quod Christus non propria, sed vicaria, non vera, sed representativa, non absoluta, sed relativa, non sui sed officij respectu sit persona divina, quemadmodum mysterium hoc iniquitatis ipse Socinus adv. wujek. p. 80. prædit inquit: De Christo sub illius unius Dei nomine agi; non quia Christus ipse futurus esset ille unus Deus, sed quia unius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat. Et Paulo post: Accedat Scriptoris (Sacri) autoritas & Prophetiæ Spiritus, quo patefacit, quale & quantum revera sit Christi Regnum, & quam divina prorsus & perfectissima ratione Christus illius unius Dei PERSONAM sustineat. Verum (1) uti Christus propriè Deus est, non autem Deus vicarius, sic etiam propriè divina persona dicitur, non autem vicariam Dei Personam tantum sustinet. Confer. Disput. IIX. th. 2. seqq. (2) quia Christus Dei Filius ἰδίως Rom. IIX. 32. & μονογενῆς Joh. 1. 14. Ideo rectissimè dicitur, quod ἰδίως etiam divina persona sit. (3) nititur hæc sententia meris falsis hypothesebus Socinianorum, quod una tantum in Deo detur persona, quod Christus non sit naturalis Dei Filius, quod saltem ἀναλόγως sit Deus &c. quos hypotheses ex Scriptura, passim refutavimus.

8. (3) *Quod non sit humana persona, quod tamen Socinani communiter asserunt. Smalz. de Err. N. A. p. 26. Docemus Christum essentia & persona hominem esse. Et postea: Paulus ait unum esse Deum & unum mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum. Nonne hinc constat, Christum differre à Deo non tantum persona simpliciter, quod scil. & Deus persona sit & Christus, sed etiam ita, ut Deus sit persona divina, Christus vero hum. Qui vero ita persona est, ut humana sit persona, quomodo idem persona divina, idem Deus, qui Pater est, esse potest? Verum quod Christus humana persona non sit, probatur (1) ex Scriptura silentio, quia nusquam Christo scriptura personam humanam tribuit (2) ex contrario testimonio, quia Filius Dei non Angelos, sed Abrahæ semen assumpsit Heb. 11. 16. ita ut in carne sit manifestatus 1. Tim. 3. 16. cum igitur humana natura sit assumpta, videl. à persona Filii DEI*

DEI

DEi, sequitur, quod vel ut *persona* assumpta, vel ut *sola natura*, non ut *Persona*, quia *Sociniani* ipsi tanquam absurdum rejiciunt, duas in Christo personas esse: manet igitur, quod ut *natura* sit assumpta, nim. ut ita personaliter in λόγῳ subsisteret, quia sine *subsistentia* vel *propria*, vel *communicata* subsistere non potest: propriam non habet, ergo *communicata* gaudet. (3) *Ex attributo*, quia Filio hominis prædicata personalia Filii Dei tribuuntur, e. g. *Luc. I, 35. Angelus* inquit: *Quod nascetur sanctum Filius Dei appellabitur.* Sic *v. 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum, hic (filius Dei, verus homo) erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Sic Christus interrogans Apostolos quem ipsimet statuerent *Filium hominis* esse: Responsum accepit *Matth. XVI, 16. Tu (Fili hominis) es Filius Dei vivi.* Et in quamplurimis locis eadem, aut similia legimus. Ex quibus apparet, Christum non *humanam*, sed *vere divinam personam* semper extitisse.

9. (4) *Quod Christus sit persona composita*: ubi tamen observandum, quod ne utquam dicatur *persona σύνθετος* (1) ἀπλῶς vel *absolute*, sed tantum *συγκειμένως composita*, quoad statum ἔργῳ ante incarnationem. (2) non κοινῶς & communiter, quatenus vulgares *compositionum modi* solent compositum quid indicare: sed μονοτρόπως & singulariter, quia conjunctio personalis omnes *vulgares compositionum modos* eminentissime transcendit. Est enim *persona Christi σύνθετος* non compositum aliquod *vulgare*, sed *singulare*, non *naturale*, sed *supernaturale*, non *Philosophicum*, sed *Theologicum*, non *physicum*, sed *mysticum*, quia maximum in eodem latet *mysterium I. Tim. III, 16.* (3) non *formaliter*, respectu *compositionis alicujus proprie sic dictæ*, sed *materialiter* respectu *unionis personaliter acceptæ*; siquidem hæc *compositio* non fit ex *pluribus partibus* proprie sic dictis, nec ex *pluribus imperfectis* (cum *persona ἔργῳ* proprie loquendo *pars* esse non possit, nec *imperfecti* rationem admittere norit), sed tantum ex *pluribus distinctis* constare dicitur. (4) *nō mutabiliter*, quasi *persona ἔργῳ*, per *unionem*, *mutationem*, vel *alterationem* aliquam aut *simplicitatis* suæ *jaçturam* passa fuerit, sed *eminenter*, quod *hypostasis τῷ λόγῳ facta* *duarum naturarum* sit, quæ solius antea *divinæ*

divinæ

vinæ naturæ erat. (5) non *stricte & rigoroſe*, quatenus *ἀκρῶς* ex duobus, vel pluribus compositum quid efficitur; sed *late*, vel *etymologice*, quatenus unum cum altero ponitur, unum ad alterum jungitur, unum cum altero realiter unitur, unum ad alterum realiter refertur: sic h. l. persona τῷ λόγῳ post incarnationem cum humana ponitur, cum eadem personaliter conjungitur & nititur, ita ut una ad alteram realiter referatur: non n. persona τῷ λόγῳ manet amplius simplex hypostasis, prout ab æterno fuit, sed per accessionem, vel assumptionem humanitatis in unitatem personæ suæ fit unita, vel suo modo composita, ut jam non amplius sit *Verbum nudum*, sed *incarnatum*: neq; tamen propterea persona Christi fit *aliquod tertium*, realiter à duabus istis naturis diversum: sed uti persona fuit vere divina sed simplex ante unionem, sic post unionem manet eadem divina persona, sed unita, simplex fuit ante unionem secundum totum sui, post unionem composita fit, & talis secundum alterutram, videl. humanam naturam appellatur. Nihil n. divinæ naturæ, vel etiam personæ accedere potest, quod eam mutet, vel perficiat, potest tamen aliquid accedere, quod *illa* perficiat: sic humana natura fuit assumpta, non ut perficeret, vel etiam componeret λόγον, sed ut ea perficeretur, & λόγῳ personam per unionem ingrederetur: quemadmodum ut rude quoddam exemplum afferamus, Deo mundus accessit in tempore, non ut ipse Deum perficeret, aut mutaret, sed ut ab immutabili Deo mundus perficeretur. *Sociniani κατὰ δίαμετρον* negant hanc personam dicto sensu *compositam*, & omnem unionem personalem duarum naturarū inficiantur, prout apparet ex *Catech. Racov. p. 24. 55.* ubi scribunt: *Solches ist der Vernunft zu wieder / das zwey Wesen / die in den Eigenschafften eine der andern zu wieder ist / keines weges in einer Person nicht können vereiniget werden / als da sind sterblich und unsterblich seyn / einen Anfang haben und ohne Anfang seyn &c.* Verum in fidei mysteriis non attendendum, quid *ratio* nostra *cæca* statuatur, & quid sibi *contrarium* esse dicat. Scriptura nobis divinitus revelata, quæ mysterio-
rum

rū omniū fundamentū solitariū. Licet & hoc falsū sit, quod sana ratio doceat, naturas, proprietatibus ejusmodi diversis præditas, nō posse cōjungi: notū enim est, quod in ipso homine duæ partes reperiantur essentielles, quarū altera materialis, altera immaterialis, altera mortalis, altera immortalis, altera visibilis, altera invisibilis &c: & tñ. ad unū eundēq; hominē constituendū concurrunt Si proinde hoc fit in naturalib; & rationis objectis, rationi prorsus contrarium id esse nequit. Et certe si duæ sic diversæ, vel ut Sociniani putant, adversæ naturæ possunt ad unam essentiam constituendam copulari, multo magis in una persona certam aliquam unionem admittere poterunt. Porro hoc notum est in Philosophia, quod contrarietas non substantiis immediate, sed mediate ratione qualitatum competat, adeoque per se non substantiæ, sed qualitates sibi mutuo contrariæ dicuntur. Denique falsum, quod DEI proprietates contrarietatem aliquam admittant, cum potius & contrarietatem, & subjectum contrariorum maxime transcendant: non omnis diversitas est contrarietas.

X. Hæc de persona Christi notare voluimus. De nat. ejus pariter heterodoxa plurima Sociniani fovent. Nam *in genere negant, duas in Christo naturas esse: Sic n. Smalz. contr. Franz. p. 85. scribit: Vanissimum omnino esse effugium illud ad duas in Christo naturas, per id demonstratur, quia non tantum à Deo, sed à patre omnia habere Christus dicatur. Hoc enim omnino tollit divinam in Christo naturam, cujus respectu omnia habet à semetipso. Nam si Christus à seipso aliquid, vel omnia habere potuit, quid opus est patri ea tribuere &c.* Verum nulla est ratio consequentiæ: nam Christus dicitur omnia habere à patre & secundum *divinam*, & secundum *humanam* naturam: secundum *divinam* nihil habet, nihil agit à seipso *Job, V. 17. seqq.* sed omnia habet & agit à patre, per *æternam generationem*, per quam omnia, quæ pater habet, ipsius esse dicuntur *Job. XVI. 15.* secundum *humanam* naturam etiam omnia tradita sunt eidem à Patre *Matth. XI. 27.* data ipsi est omnis potestas in cœlo & terra *c. XXIX. 18.* Porro Christus quoad *divinam naturam* omnia habet à semetipso, quoad *competentiam essentialem*, quia non habet ab *alio eadem*: omnia partter habet à patre quoad *competentiam personalem*, quia Pater per *æternam generationem*

Y

gene;

generationem omnia filio communicavit *Pfal. II. 7.* quæ communicatio personalis divinam naturam non destruit, sed firmiter adstruit.

XI. *In specie de divina natura* fundamentaliter errant, quia prorsus eam negant. Omnes tamen scripturæ locutiones & phraseologias plus quam hæretico sophisticandi studio pervertunt: nonnullos saltem recensebimus (1.) *Christum Dei Filium* vocant: non autem *filium per naturam*, sed per *gratiam* intelligunt, sicut *Stoienski in disput. Lublin. relat. p. 85.* Argumentatur: *Qui est filius Dei viventis, is ille ipse Deus vivens esse nequit: alioquin sui ipsius filius esset: Atqui Christus est filius Dei viventis: Ergo ille ipse Deus vivens esse nequit: ac proinde non per naturam, sed per gratiam est filius Dei viventis.* Item: *Quo significatu Jesus dicitur Christus in Confessione Apostolica (Matt. XVI. 16.) eodem etiam est filius Dei viventis. Atqui per gratiam, non per naturam divinam est Christus: Ergo & filius Dei viventis non per naturam, sed per gratiam sit necesse est. &c.* sic p. 86. *debere hoc de gratuita filiatione, quamquam longe nobilissima, in Christo explicari &c.* Verum potius invertendum hoc esset: Nam qui *Filius Dei viventis est*, ille quoque *Deus vivens*: cum ejusdem sit naturæ filius cum patre; sicut filius hominis etiam est homo, sic etiam filius Dei verus Deus. Dist. tamen inter vocem Dei, qua sumitur essentialiter, & quæ personaliter accipitur, pro persona Patris. Christus, Dei filius est Deus verus, Deus vivens, sed non est Deus Pater, non est vivens Deus Pater. Deinde falsum est, quod eodem prorsus modo Jesus dicatur Christus & filius Dei: nam Christus dicitur propter unctionem ad officium sed Dei filius ob æternam generationem appellatur.

XII. (2) *Filium genitum* esse concedunt generationem autem non veram metaphoricam, non substantialem, sed accidentalem, vel etiam spiritualem intelligunt: imò Dei Filium genitum & creatum simul esse volunt. Posterius patet ex *Socin. adv. Volan. p. 24.* *Neq; nos ita loquimur, ut dicamus Christum creatum esse Dei Filium, atque unigenitum Dei Filium ipsum esse agnoscimus & confitemur: quamvis creatum esse simul agnoscamus. Neque enim pugnant genitum & cre-*

Et creatum esse, præsertim si diversarum rerū respectu dicantur. Christus nō dicitur genitus quatenus simpliciter est, sed quatenus est Filius Dei. Hoc a. non impedit, quo minus, quatenus simpliciter est, creatus dici possit: alioqui ne nos quidē, quatenus simpliciter sumus, creati dici possemus, cum quatenus Filii Dei sumus, geniti seu nati dicamur, Et quidem ex ipso Deo Job. 1. 12. Jac. 1. 18. 1. Job. 2. 29. c. 5. 1. Prius a. notum est ex Instit. breviss. Socin. p. 11. ubi Christus Filius Dei genitus vel unigenitus etiā appellatur, quia plane singularis est Dei Filius non solum, quod divina virtute è virgine fuit genitus, sed multo magis, quod omnes reliquos Dei Filios tum perfectissima cum Deo similitudine, tum imprimis summa apud eum charitate Et gratia antecedit: ita quidem ut ceteri cum Christo comparati, Filii Dei vix dici mereantur. Im furzen Unterrichte 4. alias causas recensent, quod Christus sit Filius Dei genitus, nim. propter conceptionem, sanctificationem, resurrectionem, assimilationem; Alii causas alias admiscant, mere tamen extrinsecas & temporales. Verum Dei Filius creator est, ut alibi demonstratum: creatura proinde, vel Filius Dei creatus dici nequit. (2) genitum vel unigenitum esse, & creatum esse toto genere distant: siquidem illud substantialem, hoc causalem tantum originem importat licet igitur in creaturis hæc duo non pugnent, in Filio Dei tamen simul consistere nequeunt. (3) Falsum quod generatio Filii Dei saltem respectum inferat, cum ipsum ortum æternum significet. Ps. II. 7. (4) Aliud est loqui de hominis regeneratione, quæ spiritualis est, & aliud est loqui, de Filii Dei generatione quæ substantialis est; hæc duo proinde Sociniani minime confundere debebant. (5) Denique dist. inter Filium imitationis & generationis, κατὰ χάριν Et κατὰ φύσιν, ratione conformitatis & quidditatis &c. respectibus illis conquisitis partim homines dicuntur filii Dei, partim Filii Dei manifestatio in S. L. insinuatur: nullus tn. illorū respectuum ad Filiū Dei πρώτως & immediate refertur.

XIII. (3) Hinc Christum etiam Filium unigenitum asserunt, sed multis modis hanc appellationem detorquent, ut passim videre licet. Stoinski d.l. pag. 126. Dominus supra, scribit, Christum eo modo à Deo esse genitum, qui nulli prorsus rei create competit (Et

hinc colligit eum esse unigenitum.) Quod ipsius admirabilis conceptio, inaudita ante hac natiuitas, omnibus numeris absolutam innocentiam & sanctitatem, gloriosam resurrectionem & eam consecuta beatam immortalitatem, vereque divina sapientia, majestas atque imperium, à quo solus Deus exemptus est, manifestissime arguit. Quamquam ad ostendendum Christum esse unigenitum Dei Filium non est necesse eum cum ulla creatura comparari, præterquam cum iis, quos ipse fratres suos appellare non erubescit, quia ex eodem patre sunt geniti. Quemadmodum n. Isaacus, qui Christi typus fuisse merito censetur, propterea unigenitus filius Abrahami est appellatus, quia pluribus modis fratrem suum Ismaelem ex eodem patre genitum antecederet: ita & Christus, qui fratribus suis ex eodem patre genitis, infinitis modis eminent, merito vel ob id ipsum unigenitus appellatur. Potissima tamen hujus nominis unigeniti in Christo causa videtur esse, singularissima illa Dei Patris dilectio, qua Christum præ ceteris omnibus complexus est: quemadmodum Salomon dicit, se fuisse unigenitum coram matre sua, nempe quia præ ceteris matri fuit charissimus. Adde quod quemadmodum Isaacum verisimile est ideo unigenitum Abrahami filium appellatum, quod solus ei in universa hereditate successurus erat: sic Christus unigenitus Dei Filius est dictus, quia solus universorum heres fuit à Deo constitutus; & sicut in Isaac tantum vocandum erat semen Abrahamo: sic in solo Christo semen filiorum Dei vocandum fuit, quod ad unigeniti appellationem alicui tribuendam non minimi esse momenti, nemo opinor negaverit.

IV. Verum quis non videt, ex instituto, magnoque studio veritatem mysteriorum fidei late fieri, locos sacrarum literarum detorqueri? Nam quod Christus non sit genitus vel unigenitus Dei Filius ob mirabilem à S. S. conceptionem, multis è S. L. revelatione, venerandus Dn. D. Calovius in Soc. profl. p. 204. seqq. demonstravit: reliquas etiam causas externas & temporales p. 201. seqq. refutavit, ad quem benevolentem lectorem veritatis avidum remissum volumus (2) proprie loquendo neque cum creaturis, neque cum fratribus suis spiritualibus talem comparationem æternus Dei Filius admittit, unde mysterium filiationis ejus propriae, vel generationis, aut conditionis unigeniti liceat æstimare, vel explicare. Dist. igitur inter comparationem ratione rei & ratione modi: comparatio quidem inter unigenitum Dei Filium & inter mysticos vel spirituales Dei Filios fieri potest, sed ratione

ratione rei, quatenus sunt filii: nam & Christus Filius est, & Christiani fideles filii sunt: non ratione modi, quia non sicut iste unigenitus, sic etiam hi sunt unigeniti, nec sicut iste genitus est essentialiter, sic etiam hi generantur essentialiter, sed tantum spiritualiter &c. (3) *Fratres* Christus fideles appellat non tam ratione divinæ, quā ratione humanæ naturæ, cum primis si divina natura consideratur absolute, sic n. prorsus nullos habet fratres, cum unigenitus sit à Patre Joh. I. 14. sed ratione humanitatis fratres admittit, non quoad modū fiendi l. generationis, qui Christo prorsus singularis contigit, ut ipsi Sociniani docent, sed quoad modū essendi vel ratione cōsanguinitatis, aut cōsubstantialis cōditionis (4) *Exempla* prolata sunt dissimilia. Nam quod exemplum Isaaci concernit, Hebr. ייִדִּי unicum propriè significat, sive jam unicus sit generatione, l. unigenitus, sive successione, qui solus vel unice succedit, sive solitudine, qui solus remansit, vel aliis respectibus. Isaacus omnibus tribus illius respectibus unicus erat (a) unigenitus, tū respectu Saræ, tum respectu Abrahæ, partim quoad principalem conjugem, partim quoad familiam, partim quoad hæreditatem paternam: hinc (b) Unicus successor, quia reliqui filii *secundarii erant, filii separationis, non hereditariæ successionis.* Nā Gen. XXV. 2. seqq. legimus quod Abrahā plures ex Cethura genuerit filios, sed v. 5. dicitur, quod cuncta, quæ possiderat, dedit Abrah. Isaac unico & unigenito successor: filiis a. concubinarū largitus sit munera, & separavit eos ab Isaac, filio suo, dū adhuc viveret, ad plagā Orientalē. (c) *Solitudine fuit unigenitus in familia*, quia jam Ismael iudicio Dei & ad Saræ consilium è familia Patriarchali proscriptus erat Gen. XXI. 9. seq. Conf. Hebr. XI. 17. sed in æternum Sociniani probare non poterunt, quod sicut generatio fuit eadem ratione omnium filiorum Abrahami, respectuum v. diversitas inter eos saltem inventa: quod eadem ratione generatio Christi & fidelium eadem sit, in aliis respectibus saltem diversitas deprehendatur. (5) Salomon etiam dicitur ייִדִּי unicus, non unigenitus, quod etiam LXX. verterunt non μονογενῆ, sed ἀγαπόμενον. Deinde dicitur unigenitus, non simpliciter, nec à Patre, sed corā matre: Christus v. unigenitus à patre nuncupatur Joh. I. 14. coram matre quoq; dicitur unigenitus

non extra, sed intra conjugium, non mortuus, sed vivus: nec propter solam dilectionem, sed ob ipsam generationem unigenitus vocatur. Plura nunc addere non licet. Hoc saltem hic advertimus, quod Soc. similes phrasas, utpote quando Christus dicitur unigenitus (1) *solitarie* & *exclusive* (2) *vere* (3) *proprie* (4) *absolute* & c. eodem sophistications studio pervertant, quemadmodum videre licet apud Smalz. *de vero & Naturali Dei Filio* p. 26. *seqq.* quarum examinem alii tempore reservamus.

XV. (4) Sic praeterea nobiscum in aliis loquuntur, utpote quod Christus sit filius Dei naturalis Smalz. d. l. p. 26. Et nos concedimus, Christum esse naturalem Dei Filium, adeoque non adoptivum, respectu filiationis cum qua natus est, sed ita naturalem eum esse concedit, ut mox eum etiam adoptivum appellare nullus erubescat, quia pergit adoptivum vero appellari posse contendimus, respectu filiationis, quae cum tempore ipsi successit, quatenus scilicet cum illa non est natus. Imo totum librum de Veri Naturali Dei filio conscripsit. Sic etiam p. 27. 28. Christum proprium & peculiarē Dei Filium esse largitur, sed itidem in Socin. depravationibus: imo concedunt, Christum ita naturalē Dei Filium esse, ut *revera sit equalis Deo* Socin. *adv. Wujeck.* p. 16. *Quasi vero nos negemus, Jesum Christum, quamvis sit homo, tamen esse Deum & aequale Deo: vel proprium & naturalē Dei Filium esse non agnoscamus & patri suo aequale.* Verum hanc aequalitatem ita communiter exponunt, ut potius inaequalitas, quam aequalitas vera dicenda sit: *ὁμοια λαλῶσιν, ἀνόμοια φρονῶσιν*, juxta communem Haereticorum praxin. Nam de *Divinitate, vel Deitatis aequalitate Patris & Filii* fingunt, quod non omni, sed suo tantummodo sit eadem. Divinitas, inquit Smalz. *l. de Err. N. Arian.* p. 10. Dei & Christi eadem suo modo. Item Divinitas in Christo & Deo ejusdem est generis, licet in Deo sit naturalis, in Christo participata. Imò una quodammodo dici potest divinitas Christi & Dei. Nec enim alia potestate Christus populum suum servat, qua Dei potestatem ei ad tempus Deus ita concessit, ut ipsemet neminem judicet. Item p. 27. Paulus ait nobis unum esse Deum Patrem, ex quo omnia, & nos in illum, & unum Dominum Jesum Christum per quem omnia & nos per illum. Nonne hinc iterum constat, Christum ita differre à Deo, ut alio sit SUO MODO Christus deitate, quam Pater. Certa enim alia est divinitas ea, quae causa est salutis

media

media, alia ea, quæ causa salutis est prima & finis ultimus. Et paulo post: Christi divinitas eatenus eadem est cū Patris divinitate, quatenus non alia data est Christo, quæ qualis est in Deo Patre, alia verò est à Patris divinitate, quatenus data est p. 60. Eadē est divinitas Christi, quæ Patris, SUO MODO. Nec n. aliunde habet aut habere potest Christus Deitatem, quā à Patre. Et postea: Duæ sunt agnoscendæ in Christiana religione personæ altera divina, ex seipsa & naturâ Pater; Altera divina ex Deo, certo tempore, certa de causa talis effecta, Christus. Harum duarum personarū una est suo modo Deitas; quia quicquid habet divinitatis Christi, id totū ex patre habet: sed non simpliciter una. Nā Deitatem ex se habet Pater, Christus à Patre. Deitas patris ad omnia in universū extenditur, Christi ad salutē tantū humani generis. Patris Deitas nemini tradi potest: Christi Deitas, vel regnum tandem Patri reddetur. Portenta hæc sunt locutionū & dogmatū, quæ passim cū aliis Socin. Smalz. repetit. Neq; facile quis brevioribus pag. illis omnia corruptularum Socin. prodigia describere poterit. Hæc igitur sufficiant h. l. De quibus hic inspecie copiosius agere non possumus. Et alias cuilibet apparet, dogmatum istorum absurditas cum primis si vel prima Christianæ religionis principia leviter perceperint. Ludant Socin. verbis, phrasibus & loquendi formulis veluti, tessaris, & verbis scripturæ ac Ecclesiæ sensū hæreticum affingant. Verū & ex Sacris literis & ex aliis documentis certum, quod meus sit Deus, una Deitas, una divinitas, nec alia datur in Patre, alia in Concilio, cum simpliciter sit una. Præterea modò, quo Christo Deitas tribuitur non est temporalis participationis, sed æternæ generationis *Pf. II. 7. Prov. VIII 24. Job. I. 1. seqq. Joh. XVII. 5.* Temporalis Deus verè *σιδηρόζυλον* est. Deitas quoq; nomen est non dignitatis & eminentiæ, vel potestatis aut officii, sed potius naturæ, vel essentiæ, ideo de tali traditione Deitatis qualem Sociniani fingunt, nihil utpiam scriptura tradit. Reliqua Socinianorum *ἀνέσματα* discursibus refutanda servamus.

XVI. De Humana natura porro Sociniani neq; paucos, neq; parvos errores fovent. Nam (1) de humanitate Christi docent, quod nihil quicquam, præter ejus humanitatem, ad essentiā Christi cogitu, vel, creditu, sit necessarium, uti legimus apud Socin. in
breviss.

breviss. Instit p. 32. Ego te monitum volo, me ex iis, quæ ad Christi seu filii Dei essentiam pertinent, nihil magis nobis credendum ac cognoscendum esse statuere, quàm illum natum fuisse verum hominem. Hæc enim ea res est, quæ omnium maximè ad ejus vestigia insequenda, ad ea, quæ nobis permisit, credenda, adq; nobis suadendū illum nostrarū in hoc mundi infirmitatum afflictionumq; misereri, nos animat atque inducit. Verum Angelus, Evangelista nativitatis, falsum esse demonstrat Luc. II. 10. 11. Evangelizo vobis, inquit, gaudium magnū, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie (1) Salvator, qui (2) Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum invenietis (3) infantem pannis involutum & positum in præsepio. Et propterea celestis angelorum exercitus cecinit: Gloria in excelsis Deo & in terra pax & hominibus bona voluntas. v. 14. Ostendit igitur, quod Christus potissimum ut Salvator sit cognoscendus: ut autem salvare posset, propterea cognoscendum eum esse, tanquam verum Deum, quod sit $\chi\rho\upsilon\varsigma$ & $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\zeta\omicron\chi\eta\nu$, sit $\chi\rho\upsilon\varsigma$ & in civitate David: ut denique salvare vellet & deberet, eum ut infantem natum, & verum hominem cognoscendum esse. Cognoscenda proinde humanitas, sed insuper etiam cognoscenda divinitas, ut major inde crescat in officium & beneficium Salvatoris fidei nostræ firmitas. Et certe cum potissimum in eo fideles omnes gloriari habeant, quod sciant & norint Messiam, & cum primis quod ipse sit Jehova, seu verus Deus Jer. IX. 24. non sufficit nosse verum ipsum esse hominem, sed necessarium est potissimum, scire verum eum esse Deum.

XVII. (2) Docent eum esse nudum atque purum hominem, uti videre licet apud Socin. adv. Erasmus Johann. p. 5. ubi quidem primum dubitare videtur, an unquam docuerit, Christum esse purum hominem: postea tamen id ipsum prolixè tuetur inquiring: *Neque quidquam vel Dei majestati decedere, vel absurdi in eo esse, quod mediator inter Deum & nos sit purus homo. Id autem jure à me fieri satis indicat Paulus dum diserte ait, unum Mediatorem Dei & hominum esse, Hominem Christum Jesum. Nam alioqui hic simpliciter Hominis appellatione non fuisset contentus, præsertim ubi nihil cogebat Christum hominem appellare: nisi quæ fortasse Pauli meus erat*

signifi-

significare, Christum Jesum, quatenus est homo, Me-
 diatorem unicum Dei & hominum esse, id quod rationem
 istam tuam apostolico spiritui adversari plane ostenderet. Ad hæc
 si Dei majestas non ferret, ut ipsius Dei & hominum Mediator esset
 purus homo, non ferret similiter, ut ejusmodi mediator purus homo
 jure estimari posset. At qui Christus nihil manifeste in se habuit, aut
 fecit, quod purus homo habere, aut facere nequeat, si Deus velit. I-
 tad, purus homo jure estimari potuit, quemadmodum & olim, &
 hodie à plurimis estimatus est &c. Ne quis autem mysteri-
 um Socinianismi, quo videlicet Christum purum,
 & non purum hominem esse statuunt, ignoret, ideo statim p. 7. Soci-
 nus ipse hoc prodere voluit scribens: *Neg, ego nego, Christum ve-*
vera Dei filium unigenitum esse, nec quicquam prohibet, quin pu-
rus homo unigenitus Dei filius esse possit: siquidem PURUM HOMI-
NEM in hac disputatione eum intelligere necesse est, qui hominis qui-
dem essentiam habeat, nec præterea ullam: cæterum qualitatibus
eum nullo alio homine communibus præditus esse possit. Sic igitur
juxta Socinianos Christus est purus & nudus homo, quoad naturam
vel essentiam, sed non est nudus atq; purus homo, quoad proprietates
& qualitates: purus & nudus homo, quoad ortum, non est pu-
rus atq; nudus homo, quoad officium; purus & nu-
duus est homo, quoad sui constitutionem, non est purus at-
que nudus homo quoad bonorum collationem: ratione sui purus
& nudus homo, ratione Dei, quoad dona communicata, & rati-
one nostris, quoad beneficia nobis collata, non est purus atq; nu-
duus homo &c. Verum quod Christus non sit ratione natural. es-
sentia nudus homo, probatur tum ex titulis, quia dicitur Vir Jeho-
va Gen. IV, 1. Vir quoad humanam; Jehova quoad divinam natu-
ram; Homo Deus I. Par. IIX, 15. verus Immanuel Esa. VII, 14. Matt.
I, 23. Deus nobiscum: Christus Filius Dei vivi Matt. XVI, 16. tum ex
naturis expressis, quia passim in S. L. duæ naturæ Christo tribuun-
tur, siquidem modo Deus & Filius Dei &c. modo homo, Filius ho-
minis, semen mulieris &c. dicitur: tum ex diversarum naturarum
attributis, quia modo divina, modo humana propria, juxta scri-
pturam, Christo tributa legimus: tum ex effectis divinis, ex qui-
bis sæpius etiam in diebus carnis colligere tum potuerunt, tum

voluerunt, cum non esse nudum hominem, sed verum Dei filium.
 Et Paulus sepiissime Christum modo Deum, modo Filium Dei voca-
 vit, cur igitur ista loca Socini non consideravit, eumque verum
 Deum ex istis agnovit? Nec in eo loco I. Tim. II, 5. Christum
 purum hominem vocat, sed (1) hominem Mediatorem, qui juxta scri-
 pturam est Deus & homo, (2) Hominem Jesum, qui pariter verus
 Dei Filius & Filius Altissimi dicitur Luc. I, 31. seq. (3) Hominem
 Christum, qui est filius Dei vivi Matth. XVI, 16. Dominus in civitate
 David & verus Jehova Luc. II, 10. Hominem autem vocavit Me-
 diatorem, non ut divinam naturam persona medtatoris, sed
 ut nemo naturam humanam, à divino mediationis officio
 atque negotio excluderet: hominem mediatorum eum appellavit,
 non quasi solus esset, sed quod ratione humanitatis beneficium
 Mediationis maxime nobis prodesset, cum Christus Mediator
 noster sit frater, quod maximæ consolationis est. Quotquot igitur
 Mediatorem naturâ nudum vel purum hominem esse putant,
 vel affirmant, non ex Paulo sed contra Paulum hoc ipsum do-
 gmatifant, quod commentum Socinianum omnino rejiciendum.

18. (3) Christum in omnibus essentialibus partibus & pro-
 prietatibus, atque naturalibus qualitatibus ut & operationibus natu-
 ralibus & humanis passionibus nobis similem esse ex Heb. II, 15. Ec-
 clesia fidelium docet, sed excepto peccato, cum Heb. VII, 26. ta-
 lis noster Salvator esse debuerit, ut esset Pontifex sanctus, inno-
 cens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Sed hanc Ecclesiæ
 confessionem, ex scriptura Sociniani notant atro carbone sicut
 apparet ex Schlicht. Comment. in Epist. ad Hebr. p. 202. Vulgaris est
 error opinantium, Christum b. l. nobis omnibus in rebus excepto pec-
 cato similem dici, quod sane nec verba Autoris ferunt, nec rei veritas
 patitur, cum Christus etiam alijs in rebus, præter peccatum, puta
 divina virtute, potestate, sapientia, munere singularissimo, ne admi-
 rabilem nascendi modum considerem, omnibus multum fuerit dissi-
 milis. Verum non quoad modum fiendi, nec quoad officialem mo-
 dum operandi Christus alijs hominibus similis esse dicitur, sed po-
 tissimum quoad modum essendi respectu humane nature, cum ve-
 rus homo fuerit, quoad animam & corpus, veras hominis pro-
 prietates habuerit, naturales etiam operationes, & passiones

quoque; vel infirmitates susceperit, quod potissimum scriptor authenticus intendit, reliqua tamen non excludit, sed vere praesupponit.

19. (4) Christum in adscensione sua ad caelos corpus suum deposuisse, novumque prorsus corpus essentialiter vel novam prorsus naturam accepisse, a nostris diversam adsumsisse, fingunt apud Smalz. de Error. N. A. p. 201. ubi demonstrare conatur, Christum nunc aliam naturam habere, quam cum in terris degeret: Ut, inquit, Christus in eadem natura, in qua mortuus fuerat, resurrexit, & ut resurgeret, opus fuit: ita in eadem natura eum nunc vivere, falsissimum esse, & sacris literis contrarium: Nec sequitur, non fore eundem Christum. Nam si constet, spiritum eundem, vel animam esse in Christo nunc, quae olim fuit, jam etiam constat, eundem esse Christum nunc, qui fuit olim. Forma enim dat esse rei. Quod v. aliud nunc corpus habet, quam illud erat, in quo mortuus est, hoc singulari Dei sapientiae simul & clementiae tribuendum est. Conf. Smalz. de Divinit. Christi c. 14. p. 90. Volkel. l. 3. de vera Relig. c. 1. p. 40. p. 106. Crell. Explicat. c. 15. 11. prior ad Corinth. p. 224. Verum (1) sicut Christus idem, qui mortuus, resurrexit, sic idem, qui resurrexit, ad caelos adscendit & ad dextram Patris consedit Marc. XVI, 9. Luc. XXIV, 51. Act. I, 9. Eph. I, 20. idem qui exinanitus, exaltatus Philip. II, v. 10. (2) Natura Christi non ex anima vel forma sola, sed ex anima & corpore simul aestimanda, cum forma determinatam, non indeterminatam respiciat materiam. (3) Si natura datur alia hodie in Christo, datur etiam alius atque diversus Christus: At prius verum juxta Smalzum: Ergo posterius negari nequit. (4) Unde Smalzio constet, eandem esse animam Christi in diverso corpore, vel eandem formam in alia materia, non apparet: ad sapientiam & clementiam Dei frustra provocat, quia sapientia caelestis nobis eundem Christum quoad animam & corpus respectu humanae naturae heri & hodie eundem & in secula proponit Hebr. XIII.

20. (5) Denique Humanam naturam in se verè personam esse statuunt. Sic n. Smalz. de vero & natur. Dei Filio p. 6. scribit: Christum non futurum verum hominem, si non sit natus persona humana.

Z 2

Et p.

Et p. 7. Quis unquam audivit, hominem eum verum esse, qui non sit persona humana? Nonne hac ratione Christus erit imperfectior homo, quam omnes alij homines sunt aut fuerunt? Singuli n. homines per se subsistunt: solus homo Christus in alio subsistit, semper autem id, quod per se subsistit, prestantius est eo, quod in alio subsistit. Jam quæ hæc fictio personæ est in homine vero, quæ non sit persona humana? Ipsa rei natura exigat, ut qui homo appellatur, humana sit persona: At nihil est quod cogat, ut is, qui Deus appellatur sit persona divina, cum constet, vocem Deus quandoque dignitatem significare: Et tamen Christum, quia Deus vocatur, personam divinam esse concludit Smiglecus; quia vero homo appellatur, personam eum humanam esse, pertinacissime abnegat. Verum humana natura veritas non ex persona, sed ex essentia juxta Philosophos æstimanda venit: ubi rationalis anima simul cum corpore repetitur, ibi vera humanitas concedenda, quicquid etiam sit de ratione subsistendi. Modus etiam hic rem non variat. (2) mysterium Christologium non iudicio vel auditu, vel aliorum sensuum, sed potius beneficio divinarum revelationum nititur, non igitur ex auditu nostro, sed ex effato divino pendet. Verus igitur homo, qui veram hominis essentiam, non autem tantum, qui veram & absolute sic dictam personam humanam, habet. (3) Falsum, quod hac ratione Christus sit imperfectior alijs hominibus, quod sæpius nobis à Socinianis objicitur, & ob id injuriæ Christo per sententiam hæc illata nobis impingitur, quemadmodum Stojenski in disput. Lublin. p. 89. scribit: Smiglecus ultimum ex his, quod maxime odiosum videtur, nempe Christum habere imperfectionem creaturæ, magis expresse & longe ignobiliori ac humiliori sensu, non sine magna Christi, nostraque salutis injuria, ex sua sententia consequi concedat necesse est. Si enim imperfectionem in Christo arguit, quod sit creatura; quanto magis id arguet, quod sit imperfecta creatura, alijs omnibus in suo genere imperfectior &c. Et sane necesse est fateatur, quocumque tandem se vertat, si Christus naturam quidem humanam habeat, sed persona humana non sit, nec natura humana Christi per se subsistat, ut aliorum hominum, sed per aliud, longe plus imperfectionis in Christo esse, quatenus est creatura, quovis homine. Sed illud non humanam imperfectionem, verum divi-

divi-

divinam & eminentiorem longe perfectionem arguit: nam quanto divina persona dicitur eminentior humana, tanto quoque maiorem perfectionem humana Christi natura præ cunctis aliis hominibus accesse dicitur. Nec illud est reprehensione dignum, quod Christus respectu humanæ naturæ creatura vocetur, cum illud sit ipsa veritas, sed quod ut Filius Dei creatura dicatur, hoc n. maximam Christo infert injuriam, si quidem non creatura Dei filius est, sed omnium creaturarum conditor Job. I, 1. 2. (4) In alio subsistere tripliciter aliquid dicitur, vel accidentaliter, vel naturaliter, vel eminenter: illud abusive dicitur de accidentibus propter inhærentiam, quæ tamen rectè inexistere, vel in alio esse, seu existere, quam in alio subsistere dicuntur: & hoc imperfectionis esse dicitur: istud de supposititaliter unitis vulgo dicitur, e. g. quando ignis dicitur in ferro ignito subsistere, quod non tam imperfectionis, quam supposititalis cujusdam unionis & conjunctionis esse perhibetur: hoc v. dicitur de presenti mysterio, quando humana natura subsistit in λόγῳ, quod certe non est imperfectionis, sed divine perfectionis, cum loco propriæ subsistentiæ humana Christi natura divinum subsistendi statum sortiatur. (5) Per se subsistere dupliciter dicitur, ἢ καθ' αὐτὸ, ἢ κατ' ἄλλο: humana quidem natura per se subsistit, sed nō καθ' αὐτὸ vel propria subsistentia, sed κατ' ἄλλο communicata subsistentia: veritas igitur neutriquam, sed tantum naturalis proprietas subsistentiæ humanitati deesse dicitur, quæ tamen absentia longe perfectiori subsistendi modo compensatur. (6) Personam non in homine fingimus, sed hominem in persona subsistere, juxta scripturam credimus. (7) Christus non est objectum nature, sed gratiæ, ideoque de mysteriis ejus non simpliciter ex natura, sed cum primis ex gratiosa Dei revelatione judicandum est. Licet verissimum sit etiam juxta naturam, quod homo quis dicatur ob essentiam, non ob personam, quemadmodum omnibus naturæ cultoribus liquidum. (8) Fragmentum de vocis Dei propria significatione pro dignitate, vel officio, quando Filio Dei tribuitur, jam sæpius refutatum est.

21. De Unionem personalem non levius errant Sociniani, quippe qui prorsus eam repudiant: nec aliter facere possunt, cum di-

naturam Christi naturam, & sic duarum naturarum in Christo præ-
 sentiam rejiciunt: siquidem *unius* nulla datur *unio*, sed *unio* mi-
 nimum inter *duo* reperitur. Hinc Socinus *adv. Volan. p. 66. humane*
& divine nature in una hypostasi copulationem humanam prorsus so-
mnium appellat, nullis divinis testimonijs confirmatum. Idem,
in fragment. duorum script. de Christi natura p. 16. inter impossibi-
lia personalem unionem numerat. p. 17. negat, dogma de perso-
sonali unione Christianæ religionis basin & dogma præcipuum esse.
 imo disertis verbis affirmat, si aliqua in divinis monumentis lo-
 ca reperirentur, ubi diserte scriptum extaret, Deum hominem,
 factum fuisse, aut humanam carnem induisse, vel assumisse, non
 statim ita, ut sonant verba, accipienda esse, cum id divinæ maje-
 stati prorsus repugnet, sed ea ratione exponi debere, ut per figu-
 ras à loquendi usu non penitus abhorrentes, & aptior sententia
 nobis constaret, & ipsa natura funditus non everteretur &c.
 Conf. 19. 23. 26. 27. &c. Smalz. c. Franz p. 65. & passim alibi. Ve-
 rum hanc *personalem unionem* satis confirmant *apertissima sacra-*
rum literarum testimonia Job. I. 14. I. Tim. III, 16. Hebr. II. 16. &c.
duarum naturarum presentia, quia passim Messias modo *Deus,*
 modo *homo* nuncupatur: *una Christi salvatoris substantia,* quia
 Christus in duabus naturis tantum unus esse dicitur, ita quidem
 ut tota plenitudo Deitatis in ipso *σωματικῶς*, vel in assumpta car-
 ne, tanquam in proprio templo habitare dicatur. Ad *effugium*
Socinianum ab impossibili petitum, jam in hac causa conceptio-
 nis nuncius, *Angelus Gabriel*, respondit *Luc. I, 37.* quod non sit
 ullum verbum apud Deum impossibile, quibus impossibilia no-
 bis, vel cæcæ rationi nostræ, Deo possible & facilia esse demon-
 stravit. Nec hic *naturam*, sed *autorem nature* respicere debe-
 mus. Qui cuncta potuit ex nihilo producere, tantum etiam my-
 sterium perficere voluit & valuit.

22. Ex *unione personali* tribuuntur alias *Christo θεανθρώπων (1)*
Communicatio persone, qua *ὁ λόγος* substantia, ab æterno divi-
 næ naturæ propria, humanæ naturæ verè ac realiter in tempore
 communicata creditur ad communem participationem, ita ut
 non minus verè jam sit humanitatis hypostasis quam ipsius *λόγος*
 tametsi

tamen si Divina natura καθ' αὐτὸ, πρῶτως, ἢ ἰδίως, humanae vero tantum καθ' ἄλλο, δευτέρως ἔ κοινωτικῶς competat, videlicet ad communem possessionem, usurpationem & denominationem. Nam *Verbum caro factum est* Job. 1. 14. quod juxta *Damasc. l. 3. d. Orthod. fid. c. 11.* sic intelligendum, quod ipsa Verbi hypostasis facta sit ἀτρέπτως carnis hypostasis, unde c. 2. scribit: ὑπόστασις τῆς λόγου ἐγένετο καὶ ἡς ἀνθρωπότητος ὑπόστασις, *subsistentia Verbi facta est humanitatis hypostasis.* Et hanc *communicationem hypostaseos* passim alias ex S. L. demonstratam dedimus, Sed adversarii hanc etiam *personae communicationem* inficiantur. *Smalz inter errores lib. de Vero & Natur. Dei filio praefixos, negat error. 15. Verbum esse factum carnem: error 17. Filium Dei cum humana natura hypostatice unitum esse: error. 15. Hominem Christum unione hypostatica factum esse naturalem Dei Filium (licet male addat ex essentia Dei genitum: nam talis non est juxta humanam, sed divinam naturam, & talis non in tempore factus, sed ab aeterno natus. Error 19. Hominem (Christum) propter personam divinam, una subsistit in humana natura, esse & dici Filium Dei naturalem (ubi sophisticè rursus addit seu ex substantia Dei genitum)* Sic inter errores lib. de Error. N. Arian. praefixos n. 14. rejicit: *Humanam Christi naturam personam non esse, nec per se subsistere. n. 15. Christum per suam generationem humanam & naturam humanam & personam divinam assecutum esse. n. 16. Hominem ex Maria natum esse personam divinam in humana natura subsistentem.* Ex quibus satis apparet, quod *omnis communio vel communicatio personarum subsistentia* negetur à Socinianis, quae tamen in S. L. passim & cum primis in historia *Conceptionis Luc. 1. 31. seqq.* fundatissima legitur.

23. (2) *Communicatio naturarum*, nim. illa profus ineffabilis atq; personalis περιχώρησις, qua divina natura humanae non tantum arctissime conjuncta, sed etiam eandem intime & profundissime permeat, in habitat atque perficit, sibiq; personaliter appropriat ita, ut vere ac realiter humanae naturae particeps fiat, humana vero natura ita personaliter à Divina inhabitatur atq; perficitur: ut & ejusdem particeps reddatur, ac omnī
ple-

plenitudine ejus donetur. cum disertis verbis Apostolus testatur, quod tota Deitatis plenitudo *συνωσιστως* in Christo, tanquam in templo proprio carnis habitet Col. 1. c. 2. Hæc communicatio naturarum sudes in oculis est Socinianis, unde passim eam traducunt. Hic saltem unum Socini locum ex Animadvers. c. Posnon. p. 85. præducimus: Nondum videre possumus, inquit, quænam ingenij ostentatio esse possit in suadendo rationibusq; præterea, si opus est, confirmando, eum qui verus homo sit, id est, res creata & natura mortalis atq; caduca, æternum simul Deum, id est, rem increatam & naturam immortalem ac sempiternam esse posse. Verum nec visus, nec auditus, sed fidei negotium est, talia percipere: credere simplici fide debemus, quæ ex divina revelatione de summis Christologias mysteriis percipimus.

24. (3) *Communicatio idiomatum*, quæ pariter est vera & realis participatio proprietatum propter unionem personalem, ut & personæ atque naturarum communicatione facta, de qua tum generatim tum *speciatim* passim doctrinam orthodoxam ex S. L. demonstratam dedimus; sed juxta Socinianos hæc *idiomatum communicatio* est (1) vera *allosis*, quia *allosis* Zwingliana & *communicatio idiomatum* Socino sunt *ἰσοδυναμῶν* in fragm. 2. script. de Christi natura p. 19. (2) *saltem imaginaria*, non autem vere re ipsa facta p. 16. (3) *tantum est verbalis*, vel *verbotenus instituta*, p. 19. (4) *per accidens facta*, h. e. non re ipsa sed verbo tantum, aut certe per accidens, ut idem Socin. habet in defens. Animadv. p. 22. (5) *tropica*, Socin. adv. Erasm. Job. p. 97. ubi hanc *idiomatum communicationem* *sacram Trinitariorum anaburam* vocat, it. cont. Volan. p. 28. (6) *res ludicæ & futilis* p. 38. (7) *minus propria* p. 44. (8) *tantum loquendi figura* p. 256. &c. Neque minus contra quævis *idiomatum communicationis genera* *specialiter* sæpius insurgunt eaq; variis calumniis proscindunt, ac multis modis infringunt, de quibus tamen hic *specialem aliquam tentationem* adjicere modo non licet.

licet.

Acropolis fidei CHRISTUS, nostræq; salutis
Certa basis, negat hanc turba, Socine, tua. (vam,
Qui Christum nescit verumq; hominem, verumq; Jeho-
Hic vitam nescit, crede, salutiferam.

Adferit ergo Piam Pladecius ore disertò
Doctrinam. Ceptis annue, Christi, bonis.

ABRAHAM CALOVIUS D.

Praefide Deutschmanno dum pulpita publica scandis,
Et de persona Christi defendere prompto
Dogma salutiferum satagis conamine contra
Socini mentem, quâ CHRISTO injurius exit;
Magnam rem aggredieris. Gravitas sed materiei,
Quam tractas ausu celebri, tibi conciliabit
Laudes, & fructus superaddet divite messe.

Johannes Andreas Qvenstedt. D.

Si Christum discis, satis est si cetera nescis,
Notitia Christus gloria prima tue.

Est basis in terris, est caeli janua Christus,
Vita totius dirigit acta suis.

Quod venit à Christo succedit nobile factum,
Absq; hoc progressu vita caduca caret.

Siq; tenes Christum, satis est, si cetera temnis,
Hic prora est vita, puppis & ipse manet.

Hac tibi, PLADÉCI, cura cordiq; fuerunt
Haec tenus, & Christi dogmata rite notas.

Socini rethnas monstrosas arte refutas,
Perge, Tibi semper gloria Christus erit!

Gratia te Christi benedicto flumine cinget,
Patronos studijs hic dabit usq; tuis!

Pereximio Dno M. Respond. boni
omnis causa scrib.

Johannes Deutschmann / D.

Optio Mi tua præ reliquis placet inde Pladeci,
Quod propter CHRISTUM pulpita sacra petas.

Scili-

Scilicet Hunc scivisse sat, etsi cuncta laterent
Theilogiæ finem Principumq; Tuæ.

M. Daniel Rohrius, Argentinenſis.

Dilceptant alii lambendo putamina rerum,
Tu nucleum fidei diligis atq; doces.

At dua conaris, CHRISTI defendis honorem,

Quem Socinus EI surripuisse studet.

Perge, Tibi semper sit CHRISTI gloria curæ,

Crede mihi, à CHRISTO sic benedictus eris!

M. Christophorus Eschenbach/Liebenvver-
denſis SS. Theol. Stud.

Quam velut excelsi manantem è vertice montis

Hausisti sacro fonte Sionis aquam;

Quæq; uti Theſaurum præclaro corde recondis,

Exſere virtutis nunc documenta Tuæ.

Excute cœleſtem, Pladeci, pectoris artem,

Ut CHRISTO DOMINO publica verba feras.

Nec Te falſiloqvus Socini terreat ordo,

Stat ſua CHRISTO - HOMINI laus, DEITATIS honor.

Te veri ſoletur amor. Sic multa coruſco.

Veri Cultorem nomine fama vehet.

M. Friedericus Kettner.

Impia dum jugulas, PLADECI, dogmata gentis,

Socine, CHRISTUM queis violare ſolet:

Nonne vehendus eris præclaris laudibus, atq;

Digna Tuis Muſis inde brabæa feres?

Claro & charo ſuo Dn. M. PLADECIO,

Fautori amicè honorando f.

M. Gothofredus Voigt

Delicio-Miſnicus.

Impavida ſacram conſcendis mente cathedram,

Debita Fautores pro quo Tibi dona litabunt,

Ut quoq; mox digna mercede fruaris abunde.

Jacobus Bügius Neop-Stetineniſis.

VO 17

